Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De conventiculis

Disputatio Theologica ...

... Prior eaque historica

Hardtschmidt, Johann Nicolaus
Gottesheim, Johann Ernst von
Leonhard, Georg Friedrich

Argentorati, 1705

§. 11

urn:nbn:de:bsz:31-105832

Visual Library

Et ita quidem in defectu tùm peccatum eſt hominum incuria, partim & aliorum dominandi cupiditate; quod peccatum utrumque DEUS ea infelicitate temporum ultus eſt, ut plurimi cœco quaſi obſequio venerarentur, quicquid credendum, vel faciendum ab Eccleſiaſticis obtrudebatur.

§. 11.

§. 11. *probatur.*

Infelicitatem labentium ſæculorum, quam in compendio quaſi breviſſimis exhibui, lubet paucis hiſtoricorum teſtimoniis confirmare. Octavo ſæculo cum Beda ſcriberet Expoſit. Allegor. in Sam. l. 4. c. 2. ita queritur; *videat Lector nec ſine lachrymis rem lachrymis dignam contempletur, quantum Eccleſiæ ſtatus ad pejora quotidie, vel, ut mitius dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.* Ita D. Calixt. de Statu rerum in Eccleſia Occid. ſæculis 8, 9, 10. & deinceps. Quid ipſe Genebrardus l. 4. Chronograph. veritate convictus de miſeria Eccleſiæ per 150. annos teſtetur, exhibet idem D. Calixt. l. c. §. 27. addit ex Stapletoni Relect. contr. quæſt. 5. art. 3. verba ſequentia D. Calixtus: *vix ullum peccatum cogitari poteſt, ſola hæreſi excepta, quo illa ſedes turpiter maculata non fuerit, maximè ab anno octingenteſimo.* Et §. 58. Ex Baronio hæc commemorat: *Sæculum nonum finiens dicit ipſum Romanæ Eccleſiæ ob inteſtina eademq; implacabilia bella, in ipſo ſinu Romanæ Eccleſiæ agitari cœpta, cæteris lugubrius & funeſtius eſſe redditum, ſtertentibus videlicet omnibus, quibus ad regimen erat vigilandum, imo iiſdem ipſis, ut Apoſtolica navis fluctibus obruta penitus mergeretur, operam dantibus.* Plura equidem D. Calixtus tractatu cit. habet, ſed ſtudio non addam cum & hæc inſtituto noſtro ſufficere exiſtimem, ubi oſtenſum ſatis eſt, injuria temporis, cum omnia in pejus ruerent, effectum tandem eſſe, ut neceſſitate compulſi Chriſtiani, ingemiſcentes malis graſſantibus, privatos inſtituerent congreſſus, ut cum publice non liceret, privatim ſe mutuo hortarentur, admonerent, ædificarent, ut faciebant ſimiliter primi Chriſtiani perſecutionibus preſſi. 1. Theſſ. 5, 11.

§. 12.

§. 12. *abuſus & de modernis occaſio.*

Cum vero ex hoc capite neceſſitatis non poſſent improbari Congreſſus privati, illa deinceps ceſſante in extremum alterum